

ecclesię omne placitum ac omne districtum de universis possessionibus, quas ipsa ecclesia tunc habebat vel postmodum haberet, tam in terris quam in eorum habitationibus et precipue districtum et placitum de tota villa Barisani¹, de tota Calbella² et de Ronta³ tota, de toto loco sancti Geruasii⁴ ab utraque parte fluminis et de tota villa que dicitur Publicus⁵ ac de toto loco qui dicitur sanctus Blaxius de Bulecadarii⁶, et de omnibus possessionibus, quas ipsa ecclesia habet per diversa loca in plebe sancte Marię in Portu⁷, et de tota terra, que dicitur Trisigala⁸ et de reliquis eidem ecclesię tunc vel in futuro pertinentibus. Sancivit preterea firmiter statuens, ut nulla potestas ecclesiastica vel saecularis vel alicuius civitatis consulatus nec aliqua persona magna vel parva nomine fodri vel alicuius collecte aut albergarie seu angarie vel perangarię a predicta ecclesia eiusque possessionibus et hominibus requireret⁹ vel reciperet exactiones, salva per omnia imperiali iustitia, quam sibi vel certis nunptiis ad eam exigendam specialiter delegatis voluit exhiberi, statuens, ut, si quis temerario ausu contra huius suę institutionis preceptum venire presumeret, pęna quinquaginta librarum auri condemneretur, quarum media pars fischo, altera persolveretur monasterio supradicto. Ipso demum privilegio nobis exhibito et supplicante¹⁰ culmini nostro satis humiliter et devote Alberto venerabili Magdeburgensi archiepiscopo totius Lombardię legato et comite¹¹ Romaniole dilecto principe¹² et fideli nostro, ut omnia supradicta iamdicto monasterio confirmare de nostra gratia dignaremur: nos supplicationem eius infra sacrarium exaudientie nostrę benigne admisimus et intuitu retributionis aeternę ac pro remedio animarum divorum augustorum predicti seu avi et patris et matris nostrę memorię recolendę nec non et pro nostre conservationis salute omnia supra scripta, sicut a memorato imperatore avo nostro ipsi monasterio

1) Barisano im Gebiet von Forlì. 2) Unbekannt. 3) Ronta im Gebiet von Cesena, rechts vom Flusse Savio. 4) S. Gervasio am Savioflusse, nahe der Brücke, auf der die Landstrasse von Rimini nach Ravenna den Fluss überschreitet. Die Capelle, von der der Ort den Namen hat, wurde dem Kloster 1014 von Erzbischof Arnold von Ravenna geschenkt (Fantuzzi V, 270, wo statt 'in iunii' mit dem Original 'in ruinis' zu lesen ist). 5) Pubblico in der Grafschaft Ravenna, 1579 mit dem benachbarten S. Stefano vereinigt. 6) S. Biagio di Bulgaria, jetzt Bulgheria, in der Diöcese Cesena. 7) S. Maria in Porto im Gebiet von Argenta. 8) Lag im Gebiet von Ferrara, erwähnt auch 1251 (Tarlazzi, Append. Fantuzzi. I. 213). 9) 'requireret' Hs. 10) 'supplicanti' Hs. 11) 'comiti' Hs. 12) 'principi' Hs.